



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

85. An ligentur excommunicatione accedentes ad Monasteria Monialium
Regularibus subiecta, si Statuum Episcopi ferat censuras contra
accedentes ad Monialium Monasteria? Et an incurrant in prædictam ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

nafteria Monialium absque licentia. Et ita tenet Sanchez de *marim. tom. 2. lib. 7. disp. 33. num. 33*. Rodriguez in *99 Regul. tom. 1. quæst. 45. art. 2.* & alij, quos citat, & sequitur Barbosa de *potest. Episcop. part. 3. alleg. 102. n. 73*.

9. Nota nono, non incurrere in excommunicationem latam contra colloquentes cum Monialibus, si quis loqueretur cum Novitiis, & ita docet, Graffius *tom. 1. conf. 22. de sent. excomm. n. 26.* quia in odiosis, & poenalibus Novitiis non comprehenduntur sub nomine Monialium. Vnde si aliquis accessit ad Monasterium cum licentia colloquendi cum aliqua Moniali, si ex industria ad se vocari faciat Novitiam, & cum ea colloquatur, non incurrere in excommunicationem dicendum est.

10. Nota decimo, quod in conscientia ad evitandum peccatum, & poenam excommunicationis, non est necesse ut licentia Ordinarii colloquendi cum Monialibus sit in scriptis; & nota etiam quod hanc licentiam dare potest non solum Episcopus, sed etiam ejus Vicarius; & si data fuerit indefinite, & absque temporis præfinitione, extinguatur per primam colloquutionem. Vide Graffium *ubi supra num. 40. & 41.* Sbrozium de *vicar. Episcopi, lib. 2. quæst. 109. & 210.* Mastrius de *decision. 97.* Riccius *part. 3. collect. 587.* & alios.

11. Et tandem notandum est hic obiter, quod in *cap. Monasteria, de vita, & honest. Cler. & in cap. periculose, de stat. Regul. in 6.* prohibetur frequentare Monasteria Monialium. Sed difficultas est, an nimia frequentatio absque legitima causa sit peccatum? affirmat Hieronymus Llamas in *Methodo Curationis in append. quam ponit in fine §. 4.* & idem docet Rodriguez in *99. Reg. tom. 1. quæst. 45. art. 4.*

12. Sed mihi absolute loquendo placet opinio Sanchez in *summa, tom. 2. lib. 6. cap. 16. num. 120.* asserentis, seclusis aliis extrinsecis scandalis, aut mali finis circumstantiis, non esse culpam mortalem dictam frequentiam absque iusta causa, & licentia, nisi frequentans ab Episcopo monitus non desistat, verum rarissime dicta frequentatio non generat scandalum.

RESOL. LXXXV.

An ligentur excommunicatione accedentes ad Monasteria Monialium Regularibus subiecta, si statutum Episcopi ferat censuras contra accedentes ad Monasteria Monialium?

Et an incurrant in prædictam censuram latam per modum statuti contra loquentes cum Monialibus, quia allocutio fit in loco exempto? Ex part. 5. tract. 9. Ref. 71.

Sup. hoc in §. 1. **A**D hunc casum respondet Aloysius Bariola in *Aphor. lit. E. verb. Episcopus, §. ult.* sic enim asserit: Episcopi statutum ligans excommunicatione accedentes ad Monasteria sibi subiecta, non autem accedentes ad Monasteria Regularibus subiecta, nisi specialis mentio fiat de Cœnobiiis exemptis. Sed replicari potest, statutum Episcopi afficere accedentes ad quæcumque Monasteria absque exemptorum speciali mentione; quia ex Concilio Tridentino Episcopi à sancta Sede sunt delegati pro conservanda Monialium clausura, quæ ob frequentes accessus posset aliqua ex parte violari. Ita Bariola, qui pro negativa sententia adducit Genuesem, pro affirmativa verò Riccius. Verum non desinam hic apponere ea, quæ asserit circa præsentem questionem Bonacina de *censur. disputatione 1. quæstione 1.*

Sup. hoc in *punct. 11. num. 9.* ubi docet accedentem ad Monasteria

ria exempta Monialium incurrere censuram latam Ref. per statutum ab Episcopo contra accedentes ad illa de *Monasteria*, nam accessus fit in territorio, non vero incurrat censuram latam per modum statuti contra loquentes cum Monialibus, nam allocutio fit in loco exempto. Ita ille.

RESOL. LXXXVI.

An seculares loquentes, & accedentes ad Monasteria exempta, incendant in censuram ab Episcopo latam? Idem est de statuto contra ingredientes dicta Monasteria.

Et quid, quando expresse non est vetitus accessus, vel aditio ad Monasteria, sed tantum loquutio?

Et docetur, quod non potest Episcopus Monasteria exempta colloquentes cum suis subditis punire.

Et etiam advertitur quod omnes leges Episcopales Regularium, Monasteria esse loca exempta, non solum ratione personarum inhabitantium, sed etiam ratione loci per se, & ideo posse aliquem in loco exempto postea intra eandem Diocesim ipsius Episcopi laborare in diebus festis de præcepto ejusdem Episcopi, & ejus jejunia non servare; & hoc idem dicendum est de aliis Episcopalis legibus. Ex parte 10. tractatu 14. & Miscell. 4. Resolutione 50. alias 48.

§. 1. **N**egativam sententiam tenet Pater Vidal in *Supra Arca Theologia moralis, titulo de Monialibus, Inquisitione 2. numero 101.* ubi sic ait: Deducitur, quod excommunicatio lata ab Episcopo contra accedentes abique licentia ad Monialium Monasteria, non ligat accedentes ad exempta, ut sunt Monasteria Regularibus subiecta: Hoc mihi clarum videtur; quoniam ad incurrendam excommunicationem duo necessarii requiruntur, nempe formalis accessus, & allocutio; cum ergo in casu nostro utrumque consumatur in loco exempto, sequitur quod non incurratur excommunicatio; licet etiam actio accedendi inchoetur in loco non exempto, consumatur tamen, & completur formaliter in loco exempto, sicut accidit de locutione, quæ inchoatur, & perficitur in loco exempto, ut patet, & ibi delictum committi dicitur, ubi exterius consumatur: ergo non contrahitur excommunicatio; nam paria sunt locum esse Territorium, & esse exemptum, ut ex Glossa communiter recepta in *capite, Præmissarum*, & Glossa final. de *Constitution. in 6.* & sentitur Doctorum; sed Episcopi excommunicatio ex communi Doctorum lata per modum Statuti, non ligat delinquentes Subditos extra Territorium, cum Episcopi jurisdictio non extendatur extra suam Diocesim, ex *capite 2. de Constitutionib. in 6.* ergo neque etiam ligat formaliter delinquentes in loco exempto. Ita Vidal; cui adde Alphonsium de Leone, de *Censur. Recollect. 2. numero 385.* ubi fiscaliter: Sequitur, primo, quod loquens cum Monialibus exemptis, vel earum Monasterium intrans, non incurrat excommunicationem latam ab Episcopo contra ingredientes, & loquentes cum Monialibus. Avila parte 2. capite 3. *disputatione 2. dub. 5. versicul. Ex dictis sequitur*, Sylvest. Armilla, Sayrus, & Henriquez, quos sequitur Fagundez libro 1. in *primum præceptum Ecclesie, cap. 7. m. ad finem*. Idem de statuto contra ingredientes dicta Monasteria docet Alterius, libro 3. *disputatione 9. cap. 5. versic. Ex his etiam inferri potest*. Layman, libro 1. tract. 4. cap. 11. numero 5. *versic. idem Summan*. Sicut de loquentibus, scribit etiam Bonacina, *diff.*